

bem pugnare . Habebat ille lectissimum equitatum , habebat & pedites , sed pro numero equitum , admodum paucos : utebatur ad hæc Turcis quadringentis , quos Hidrunti superiore anno domitos ad deditionem compulerat . His copiis ille fretus , Malatestam venientem ferocissime excepit . Certatum ferunt sex & amplius horas , tanta animorum pertinacia , quanta hominum memoria in terra Italia raro alias . Instabat Ariminensis dux , ac bellatorum numero melior undique hostem fatigabat . Contra Calaber suorum virtute nixus , aut mori , aut omnino locum retinere certus erat . Multi utrinque cadebant : ubique atrox erat prælium ; sed qua Turcorum manus dimicabat , atrocissimum . Demum Pontificii Venetique , militis multitudine superante , consilioque & præsentia ducis vires juvantibus , acies minus ac minus hosti constare cœpit : turbatisque primo ordinibus , tentavit Alphonsus pluribus locis aciem reparare , nonnihilque ea ratione est victoriam remoratus ; sed ubi suos undique degravari vidit , remque semel inclinatam sisti non posse amplius , cum paucis equitibus dilapsus , in pacatum trepide concessit : reliqui viri illustres , qui omnia prius experiri maluerunt , quam hosti cedere , cum omnibus ferme copiis in victorum potestatem venere . Raro alias tantus ductorum numerus uno prælio captus dicitur . His cum alia ingenti captivorum turba præ se actis , Rubertus victor non multo post urbem ingressus , desuetam triumphi speciem Romanorum oculis subjecit : ipse per hæc immortale nomen consecutus , paucis diebus vita decessit ; cuius desiderium eo majus fuit , quo minus inclytæ victoriæ laudem livor ullus fortunæ aut hominum tam brevi spacio violare potuit . Percrebuit rumor , eum veneno sublatum : sed fama tenuit , eo die , quo tam prospere pugnavit , nimio æstu & labore corpus affectum contabuisse , atque ob id intra paucos dies grassantis vi morbi expirasse . Romæ est situs , ejusque sepulchrum hoc habet : *Veni . Vidi . Vici . Lauream .*

*Arragonius
Dux in Ve-
litrino agro
victus cla-
rissimam
Malatestæ
reliquit vi-
ctoriam .*

*Rubertus
Ariminensis
non multos
post dies ,
quum pro-
spere in Al-
phonsum pu-
gnaret , vi-
ta decessit .*

Pon-